

v. g. Decoctum usuale Pectorale, partim per Diaphoretica, superius commemorata. Abscessum verò rumpunt, & pus excerni faciunt Decoctum idem Pectorale, Nicotianæ, Hydromel, Terebinthina, Balsamus Peruvianus & Copayva, Sulphuris anisatus, terebinthinatus, amygdalinus & succinatus cum vulnerariis & mundificantibus cunctis & horum decoctis v. g. Agrimonia, Hedera terrestri, floribus Hyperici. Quemadmodum demum ulceris consolidationi inserviunt Conserva Rosarum, Botryos, Hederae terrestri, Thus cum iisdem balsamicis & vulnerariis. Sin abscessus ruptura ad interiora pectoris eveniat, hincque Empyema producat, præter Chirurgiam seu Paracenthesin Thoracis parum forsan suppetet remedi: de quibus tamen agere limites præsentis transcendit.

§. 46.

Demum ratione Diætæ colophonis loco, Aeris imprimis accuratior habenda ratio, quo nimirum hic existat ægro satis temperatus: Quippe frigidus fibras pulmonum constringit, & ad tussim ciet, uno verbo omnia frigida Hippocrati *V. aph. 24.* pectori inimica observantur; calidior verò justo ebullitionem sanguinis intendit, hinc pariter temperandus, ad illum, circiter modum, quem Sennertus *Pr. L. I. Part. I. c. 1.* describit. Et non minus in hoc audiendus est Dodonæus *Obs. Med. cap. 21.* quando in Peripnevmonia populariter grassante multum profuisse perhibet focum ex quernis lignis instructum, qui aërem in cubiculis ac cœnaculis exsiccarit, & puriorem reddiderit; ac in eo, dum nullos citius aut gravius affectos commemorat, quam qui hora una aut altera post solis occasum aëri sese exposuerint, crassiore tunc scilicet, quam interdum hoc existente. Victus sit tenuis, in affectu scilicet valde acuto, juxta Hippocrati *I. aph. 7.* nisi dum sputum laudabile apparere incipit, ad juscula pingviora placeat transire: In specie potus sit dilutus, tenuis, minusque spirituosus, v. g. Decoctum hordei simpl. vel cum liquiritia vel Decoctum papaver. rhæad. cum syrupo violarum aut capill. veneris ac serum lactis; adeoque cavendum à Cerevisiâ crassiore, tam lupulata, quam non lupulata, & à vino, quod in ejusmodi inflammatoriis affectibus venenum ait Riverius *Pr. L. VII. c. 2.* Et Bonetus *Mercur. compitalit. L. XIV. de Peripnevmon.* scribit, penes suos vini potum in iisdem nocentissimum per experientiam quotidianam deprehendi, ut vel odor ejus solus ægros evidenter offendat; imò nec ingruente lipothymia eundem impunè concedi posse, quin ab eo fatum decumbentium acceleratur. Cuncta autem potulenta sint actu calida, aut saltem tepida, nunquam frigida, utpote penes Hippocrati *V. aph. 24.* pectori infesta:

non